

de pœna, quæ strictiorem interpretationem patitur. 2<sup>o</sup>. Quia in Const. Apostolicæ Sedis in Art. de Suspensionibus *n. 3.* infligitur suspensio ab administratione Ordinum per annum Episcopo ordinanti alienum subditum absque litteris dimissorialibus Episcopi proprii, idest infligitur eadem pœna, de qua agitur in loco citato Concilii Tridentini. Jam vero si pœna in cit. loco Tridentini sese referret etiam ad primam dispositionem generalem *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur*, procul dubio Pius IX. explicite in articulo de Suspensionibus de eadem pœna non cavisset. Summus enim Pontifex in Const. *Apostolicæ Sedis* confirmavit censuras a Concilio Tridentino latas. Ergo Summus Pontifex pro certo habuit Tridentinam censuram non afficere neque ordinantem neque ordinatum in hypothesi ordinationis peractæ ab alieno Episcopo absque litteris dimissorialibus Episcopi proprii. Unde autor commentarii Constitutionis *Apostolicæ Sedis* dum (§. 163. *n. 1.*) recenset censuras suspensionis a Concilio Tridentino latas, quas Constitutio Apostolicæ Sedis confirmavit, ne verbum quidem habet de suspensione *cap. 8. sess. 23. de Ref.* in casu nostro applicanda. Porro certum est pœnam suspensionis ex hoc Tridentini loco incurrere Clericum, qui ab alio Episcopo ordinatur virtute cujusque generalis aut specialis rescripti vel privilegii, quin testimoniales litteras proprii Ordinarii afferat. Innocentius vero XII. in Const. 'Speculatores' et alias pœnas comminatur infligendas pro modo culpæ a Rom. Pontifice.

60. 3<sup>o</sup>. Tertius defectus esse potest, si ordinatus in majoribus competenti titulo careat; quo in casu veteres canones relati a Gratiano sub *nn. 1. et 2. dist. 70.* irritam dicunt ordinationem, idest nullius momenti censendam esse quoad suum exercitium, ac proinde ordinatum ipso facto incurrere suspensionem. Hanc vero dispositionem temperaverunt *Alexander III. in c. 4. et Innoc. III. in c. 16. de Præb.* ita ut ordinatos a pœna eximerent, et Episcopo ordinanti imponerent onus subministrandi congruam sustentationem ordinato quoadusque provideretur de Beneficio, nisi aliunde haberet unde viveret.

Cum vero *Conc. Trid. in sess. 21. c. 2. de Ref.* de titulo s. Ordinationis loquens dicat 'antiquorum canonum pœnas super his innovando' quæsitum est utrum voluerit revocare pœnam statutam in *can. 1. Neminem et 2. Sanctorum dist. 70.* ita ut post Tridentinum qui sine titulo ordinem sacrum susceperint, sint

suspensi, et si in ordine ministraverint, reddantur irregulares. Communiter Canonistæ hanc quæstionem pertractantes docent fuisse quidem innovatas pœnas *capp. 4. et 16. de Præb.* non vero canonum *1. et 2. dist. 70.* Hos inter eminent *Fagnanus* qui in *comm. in c. 16. de Præb.* refert quæstionem in sensu exposito fuisse resolutam a s. Congr. Conc. Ratio autem hujus sententiæ deducitur ex eo quod non præsumitur concilium voluisse innovare pœnas statutas in canonibus a Gratiano relatis, quæ ex posterioribus legibus jam fuerant abrogatæ; sed potius præsumitur voluisse confirmare et in usum revocare pœnam *capp. 4. et 16. de Præb.* quæ rigore juris adhuc perseverare debuisset, quia in corpore legum ecclesiasticarum descripta erat, sed forsitan ab usu aliquantisper recesserat. Quare ex Tridentino qui promovetur ad ordines majores absque titulo sufficienti non est suspensus nec irregularis si ordinem exerceat, sed sustentari debet ab Episcopo quousque non consequatur beneficium competens, vel nisi ex bonis patrimonialibus sustentari possit.

61. At quid est dicendum si Clericus Episcopum falsis probationibus tituli deceperit? *Fagnanus loco cit. n. 69. et Bened. XIV. Inst. Eccl. 26. n. 16.* referunt resolutionem s. Congr. Conc. diei 27. Nov. an. 1680. hisce verbis conceptam 'S. Congregatio Concilii, proposito suprascripto dubio, omnium sententiis censuit, hoc casu pœnam suspensionis ante Concilium non esse correctam (scilicet a jure Decretalium expresso in *capp. 4. et 16. De Præb. et 37. eod. tit. in 6<sup>o</sup>.*) et hodie a Tridentino Concilio esse innovatam, et præterea hujusmodi Clericum qui adhibito dolo, confictoquo titulo Ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, carereque Ordinum executione'. Consequenter ad hanc resolutionem notat *Benedictus* rigorem in præsentia materia S. Sedem adhibuisse adeo ut Clericis exposcentibus remedium, negaret sanationem tituli, et solummodo concederet licentiam sacrum faciendi per aliquod tempus, donec sibi honestam vitæ sustentationem aliqua ratione procuraverint.

Verum quid sentiendum est in hodierna disciplina post Const. Apostolicæ Sedis? Constitutio hæc abrogavit omnes censuras latæ sententiæ præter eas, quas enumerat, et eas, quæ a Conc. Tridentino decernuntur. Jamvero in ipsa Constitutione renovatur solummodo pœna in *c. 45. de Simonia* expressa, idest pœna suspensionis per triennium a collatione Ordinum contra Episcopos ordinantes Clericos absque titulo cum pacto ut Ordinati non petant ab eis alimenta (*art.*



*De suspens. n. 2.*) Nihil vero decernit Summus Pontifex contra ipsum Clericum, qui ordinatus sit absque titulo, sive id contigerit ex bona fide, sive ex fraude Clerici decipientis Episcopum. Ergo Constitutio Apostolicæ Sedis explicite non decernit pœnam suspensionis contra Clericum decipientem Episcopum quoad titulum. Verum dici posset pœnam suspensionis quoad Clericum qui conficto titulo Episcopum circumvenit implicite decerni in eadem Constitutione. Et enim hæc pœna juxta resolutionem s. C. C. diei 27. Nov. 1610. superius relata, a Tridentino renovata fuit. At sententia satis certa, quam nos sequimur, tenet, Constitutionem Apostolicæ Sedis solummodo confirmasse censuras quas Tridentinum expresse decernit, non vero censuras latas ab antiquis canonibus quas sub forma generica Tridentinum renovat. Quod confirmatur etiam ex eo quod sum. Pontifex in cit. Const. expresse decernit pœnam suspensionis contra Episcopum ordinantem Clericum absque titulo cum pacto de alimentis non præstandis, quæ pœna jam statuta erat in *c. 45. De Simonia*. Porro expressio explicita hujus censuræ necessaria non fuisset, si Const. Apostolicæ Sedis confirmasset censuras antiquorum canonum renovatas a Tridentino verbis generalibus. Quibus positis dici debet, Clericum, qui conficto titulo decipit Episcopum, gravis quidem culpæ reum esse, censuram tamen suspensionis non incurrere.

62. Quarto loco possunt delinquere Clerici si extra legitima tempora ad aliquem ex s. Ordinibus faciunt se promoveri ab eo qui privilegio careat aut dispensatione canonica ad id peragendum. Jure Decretalium expresso in *capp. 2. et 8. h. t.* subiciebantur pœnæ suspensionis ferendæ sententiæ ab exercitio ordinum susceptorum. Nam Sum. Pontifex ait hos Clericos deponi et reddi expertes ab exercitio ordinum auctoritate superioris. Ex Const. autem Pii II. 'Cum ex Sacrorum' edita an. 1461. pœna suspensionis infligitur latæ sententiæ, et si Clerici hujusmodi præsumpserint in ordinibus susceptis ministrare, irregulares declarantur. Verum pœnam suspensionis latæ sententiæ non exprimit Const. *Apostolicæ Sedis*. Quare videtur solummodo subsistere vetus dispositio canonum de suspensione ferendæ sententiæ.

63. Quinto delinquit ordinatus si absque dispensatione interstitia neglexit. Cum vero pœna specialis non fuerit in jure statuta, poterit arbitrio Superioris puniri juxta culpæ gravitatem.

64. Ultimo loco hic referenda est dispositio Const. Apostolicæ Sedis in *art. De suspensionibus n. 7º*. quam supra exhibuimus, quæ incipit 'Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes etc.' Porro sub appellatione 'exterorum' veniunt omnes Clerici qui non pertinent ad Romanam Diœcesim, neque ad aliquam ex sex Diœcesibus suburbicariis.

### Appendix

ad tit. 11. de temporibus Ordinationum et qualitatibus Ordin.

1. Opportunum esse arbitramur lectoribus exhibere votum, quod pro solvendis dubiis a quodam Reverendissimo Episcopo Galliarum propositis exaravimus. — Quæritur, quonam sensu intelligi debeat ultima pars paragraphi III. suspensionum latae sententiæ etc. in Const. Apostolicæ Sedis. Paragraphus ita se habet 'Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes . . . subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus'.

2. Tota quæstio, cujus solutio exposcitur, respicit tempus commorationis proprii subditi in aliena Diœcesi. Porro quando legislator temporis terminos non designat, præsumitur sese referre ad ea quæ communiter et ordinarie evenire solent. Leges enim respiciunt ad ea quæ ut plurimum accidunt, non vero ad ea quæ inopinato aut per raro contingunt. Ita jurisconsulti Romani Pomponius, Celsus et Paulus in *LL. 3. 4. 5. et 6. ff. De Legibus*. Quo posito tempus in casu nostro debet esse notabile, prout animadvertit Lucidi *De Visit. sacror. Lim. part. 1. n. 86. p. 164.* ubi ita scribit 'Si ordinandus . . . alio in loco per accidens per notabile tempus commoratus fuerit, tunc testimoniales Episcopi domicilii accidentaliter eidem necessariae sunt; prouti in Const. 'Speculatores' edicitur'. Et ratio est; quia ordinarie loquendo nemo solet aliquod impedimentum contrahere statim ac in aliquo loco pedes figit, aut veluti hospes moram brevissimam ibidem trahit.

3. Si autem regula practica requiratur, eam tutissime adhiberi posse arbitramur, quam proponunt *Avanzini in Comm. ad Const. Apostolicæ Sedis n. 51.* Auctor Commentarii reatini in eand. Const. *n. 147. et Scavini Theol. Mor. Universa tom. 3. tract. XI. disp. 1. cap. 2. in nota sub. num. 3. (Editio duodecima)*; ubi hic postre-



mus autor explicans paragraphum nostrum dictæ Const. ita scribit 'Tempus autem commorationis in aliena Diœcesi, ut necessariæ sint testimoniales illius Episcopi, solet determinari ad sex menses, ut in Matrimoniis pro statu libero'. Et merito, nam semestre est utique tempus notabile, intra quod commorans in aliena Diœcesi potuit contrahere impedimentum ad ordines suscipiendos.

4. Deveniamus modo ad dubia proposita solvenda. — Dubium 1<sup>m</sup>. Litteræ testimoniales debentne exigere pro iis, qui pueritiam egerunt extra Diœcesim usque ad ætatem pubertatis? — Respondemus: affirmative. En ratio: Doctores explicantes tit. *De delictis puerorum* in *Lib. V. Decretalium*, tradunt, pueros sive adhuc impuberes, sive pubertati proximos, cum sint doli capaces, si delinquant, puniendos esse juxta dispositionem *cap. 1.* ejusdem tituli. Ita *Pirhing n. 3. Reiffenstuel n. 3.* et alii. Unde idem *Reiffenstuel Lib. V. tit. 1. n. 15.* docet eosdem pueros posse judicialiter accusari. Quibus positis, subintrat dispositio Const. 'Speculatores' Innocentii XII. diei 4. Nov. 1694. cui innuisse videtur Pius IX. in *num. 3.* suspensionum. Juxta hanc dispositionem quando Episcopus originis vult ordinare subditum qui ex accidentali causa in aliena Diœcesi natus est, debet ordinandus ab Ordinario hujus Diœceseos litteras testimoniales obtinere 'si tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri'. Quibus in verbis, ut apparet, nulla fit mentio ætatis sive ante sive post pubertatem, sed solummodo tempus commorationis insinuatur. Quare Honorante in celebri opere 'Praxis Secretariæ Tribunalis Cardinalis in Urbe Vicarii' *cap. IX. not. X.* ita scribit 'Dubium manifeste emergit, quænam ætas in ordinando requiratur, ut testimonialibus egeat, ad cujus solutionem, dico: quod expletis infantia annis, qui completo septennio expleantur, ut colligitur ex Glossa *cap. Cum nullus De temporibus Ordin. in 6<sup>o</sup>.* tenetur ordinandus, qui a prædictis locis excessit, ab eorum ordinariis prædictas litteras testimoniales respective obtinere, ac Episcopo ordinanti præsentare; et ratio est, quia pueri, completa infantia, sunt doli capaces, ac omnes et singulas censuras tam a jure quam ab homine incurrere possunt, ut est Canonistarum communis mens sicut et Theologorum cum Suario. . . Immo *Navarrus Consil. 27. n. 230.* addit quod irregularitas incurritur a pueris ante septennium, si in ipsis malitia suppleat ætatem'. Hanc sententiam ab Honorante propugnata faciunt

suam Lucidi in *cit. loc. operis De Visit. Sacror. Limin.* et Auctor reatinus Comm. in Const. *Apostolicæ Sedis* in explicatione *parag. 3.* ejusdem Const. de suspensionibus latæ sententiæ. Quare dubitari non posse videtur quominus propositæ quæstioni sit affirmative respondendum.

5. Dubium 2. Litteræ testimoniales debentne exigere pro iis, qui per totum studiorum tempus aut per aliquod notabile tempus degerunt in scholis Diœcesi extraneis, si ab illarum scholarum Rectoribus optimas concessas attestaciones afferunt? — Respondendum censeo: non sufficere attestaciones Rectorum, sed requiri testimoniales litteras Ordinarii illius Diœceseos, in qua ordinandi commorati fuerint per notabile tempus, nempe ultra sex menses. En ratio. Constitutio cit. 'Speculatores' qua informatur Const. *Apostolicæ Sedis*, requirit absolute litteras testimoniales Ordinarii in cujus Diœcesi ordinandus commoratus est eo spatio temporis quo potuerit aliquo impedimento canonico irretiri. Quin immo S. Cong. Conc. in causa Reatina seu Eleinen. proposita die 8. Aug. 1733. explicans mentem Innocentii XII. in Const. 'Speculatores', post longum et maturum examen sancivit: litteras testimoniales circa immunitatem a censuris et impedimentis nec non circa bonos mores ordinandi ab Episcopo alterius Diœceseos concessas non sufficere, si fuerint in forma generali conceptæ, sed requiri ut præcise ad scopum conferendi ordines dirigantur. (*Acta S. Sedis Vol. VI. Append. X. pag. 498. et seqq. usque ad pag. 510.*) Ergo a fortiori non sufficiunt attestaciones Rectoris de bonis moribus et de religiosa vita adolescentis. Ad materiam nostram vero propius accedentes, animadvertimus, tres resolutiones s. Cong. Conc. in causa Turritana seu Bosanen. diei 17. Martii 1708. in Algarm. diei 3. Aug. 1709. et in Vicentina seu Neritonen. diei 17. Junii 1719. referri ab Honorante in opere *cit. cap. XV. not. 6.* in quibus traditur, non requiri litteras testimoniales Ordinarii in cujus Diœcesi ordinandus studiorum causa moras traxerat. Attamen ab hac regula recessit eadem s. Cong. in Asculana seu Montis Alti diei 7. Februarii 1733. et respondit dictas litteras testimoniales Ordinarii in facta hypothese requiri. Quare idem Honorante ibidem concludit 'unde recentiori huic solutioni videtur standum esse. Accedit etiam ratio, quia tota vis legis versatur in commoratione facta per spatium temporis aptum ad impedimentum contrahendum'. Et quidem etiam conclusio clarior et firmiter evadit, si præ oculis



habeatur id quod scribit *Scavini in op. cit. tract. XI. disp. 1. c. II. n. 2.* ubi hæc habet 'Quando adolescentes, ut sæpe fit, in seminario alienæ Diœceseos studiorum curriculum conficiunt, eos ordinat Episcopus proprius, sed requiruntur testimoniales loci in quo studiis vacaverunt. *S. C. 11. Julii 1840*'. Unde auctor reatinus Commentarii in Const. Apostolicæ Sedis in *cit. loco. not. 45. pag. 78. n. 147.* hæc scribere potuit 'hodie igitur dubitandum amplius non est, eas (litteras testimoniales) petendas esse ab Ordinario ejus loci in cujus seminario ordinandus per id tempus (idest post septennium ætatis suæ) permansit'.

6. Dubium 3. Litteræ testimoniales debentne exigì pro ordinandis, qui vacationum tempus extra Diœcesim degunt, et redeuntes sanctæ vitæ notam a parochò concessam exhibent?

7. Dubium 4. Litteræ testimoniales debentne exigì pro Clericis qui ut Professores aut præceptores extra Diœcesim infra integrum annum degunt? — Respondeo ad utrumque dubium: juxta superius exposita, si commoratio sex menses excesserit, affirmative. Sive enim Const. 'Speculatores', sive Const. Apostolicæ Sedis non respiciunt causam commorationis, sed spatium temporis tantummodo quo commoratio perduravit.

8. Dubium 5. Hujus articuli interpretatio potestne dici ita Episcopi judicio derelicta, ut iste tuta conscientia possit Ordines conferre Clerico, qui diu extra Diœcesim moratus fuerit, dummodo mature omnibus perpensis, moraliter certus sit Episcopus nullam irregularitatem incurrisse clericum? — Respondeo: Negative. Nam quando ipsa lex determinat medium probationis alicujus rei, et præsertim sub comminatione pœnæ vel censuræ illud præcipit, Ordinarius, licet aliunde persuasionem veritatis habere possit, nihilominus non potest recedere a medio probationis legitimæ a lege ipsa definito. In casu autem nostro tum Const. 'Speculatores', tum Const. 'Apostolicæ Sedis' designant litteras testimoniales Ordinarii tamquam medium specificum ad probandam immunitatem personæ a quocumque impedimento canonico ut possit ad Ordines promoveri. Ergo etc.

Ea quæ exposui non excedunt limites particularis et privatæ opinionis adductis rationibus roboratæ. Quod si authentica responsio desideretur, ea a S. Congr. Supremæ et Univ. Inquisitionis exposcenda erit, cui reservatur saltem in praxi interpretatio Constitutionis 'Apostolicæ Sedis'.

## TITULUS XII.

## De scrutinio in ordine faciando.

1. Cum de qualitatibus ordinandorum dictum sit in titulo præcedenti, sequitur titulus de scrutinio, idest de examine instituendo, utrum clerici requisitis qualitatibus sint instructi. Scrutinium ergo a scrutando nihil aliud est nisi examen quo constat de immunitate Clerici a censuris, et de ejus qualitatibus ad sacram ordinationem requisitis.

Scrutinium triplex est; primum et secundum omnibus ordinibus commune est, tertium solum aliquos ordines respicit. Primum scrutinium præscriptum est a *Conc. Trid. c. 5. sess. 23. de Ref.* Statuit vero s. Synodus ut qui assumendi sunt ad minores ordines afferant bonum testimonium Parochi et Magistri scholæ in qua in studiis instituuntur. Qui vero assumendi sunt ad singulos ordines majores per mensem ante ordinationem Episcopum adire debent, qui Parochò aut alteri committat, ut nominibus eorum qui volunt promoveri publice in Ecclesia propositis, diligenter inquireat a personis fide dignis de ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita, et litteras testimoniales ad ipsum Episcopum de perfecta inquisitione quamprimum transmittat. Exinde inducta est regula de publicationibus promovendorum in propria parochiali Ecclesia faciendis. Hæ autem publicationes ex Const. Alexandri VII. 'Apostolica sollicitudo' edita die 7. Augusti 1662. Romæ faciendæ sunt in Basilica Lateranensi et in propria cujusque promovendi parœcia.

2. Secundum scrutinium respicit scientiam. De hoc examine loquitur Tridentinum in *cap. 7. 12. et 14. dictæ sess. 23.* Ex quibus locis eruitur, Episcopum non posse ad ordines recipiendosmittere nisi eos, quos præcedente diligenti examine, adhibitis etiam sacerdotibus peritis, doctrina instructos repererit. In *cap. autem 3. sess. 23. de Ref.* Tridentinum jubet Episcopos per seipsos ordines conferre debere, et simul decernit ut si ob ægritudinem subditos ordinandos ad alios Episcopos dimittant, non aliter dimittant nisi jam probatos et examinatos. Ex quo patet, examinis onus spectare ad Episcopum proprium, nec Episcopum cui committitur ordinatio Clericorum teneri ad inquirendum circa scientiam et vitam ordinandorum; quia præsumuntur idonei qui uti tales presentantur a proprio Episcopo. Creditur enim attestationsi Episcopi ejusdem. Sed